quidem flagitationi tuae; Itaque cum mecum libros non haberem memo
ria repetita in ipsa navigatione conscripsi tibique ex itinere misi ut mea dili
gentia mandatorum tuorum te quoque etsi ammonitore non egeres ad memoriam nostrarum rerum
excitarem. Sed iam tempus est ad id quod instituimus accedere. INCIPIT LIBER TOPICARUM

Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes unam
inveniendi alteram iudicandi utriusque princeps ut mihi videtur
quidem Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Iudicandi
enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia quam dialecticen appellant. Inveni
endi artem quae topice dicitur quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior
totam reliquerunt. Nos autem quoniam in utraque summa utilitas est et utramque si erit otium
persequi cogitamus ab ea quae prior est ordiemur. Ut igitur earum rerum quae abscondi
ta sunt haec quasi sedes e quibus argumenta promuntur. Itaque licet diffinire
locum esse argumenti sedem. Argumentum autem rationem quae rei dubiae faciat
fidem. Sed ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt alii in eo ipso de quo agitur
haerent. Alii assumuntur extrinsecus. In ipso tum ex toto tum ex par
tibus tum ex nota tum ex his rebus quae quodammodo adfectae sunt ad id de quo
quaeritur; Extrinsecus autem ea ducuntur quae absunt longeque disiuncta sunt.
Sed ad id totum de quo disseritur tum diffinitio adhibetur quae quasi involutum
evolvit id de quo quaeritur eius argumenti talis est formula. Ius civile est
aequitas constituta his qui eiusdem civitatis sunt ad res suas obtinendas; Eius autem
aequitatis utilis cognitio est. Utilis ergo est iuris civilis scientia.
Tum partium enumeratio quae tractatur hoc modo. Si neque censu nec
vindicta nec testamento liber factus est non est liber. Neque ulla est
earum rerum. Non est igitur liber. Tum notatio cum ex verbi vi argumentum
aliquod elicitur hoc modo. Cum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat locupletem iubet locupleti. Locu
ples est assiduus ut ait Aelius appellatus ab aere dando. Ducuntur
etiam argumenta ex his rebus quae quodammodo affectae sunt ad id de quo quae
ritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia